



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 12. Angliæ Legati ad Pontificis alloquium admissi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

nominatos deputavit, qui præconceptæ
 morum emendationi incumberent. His
 peractis postea actum est de pace inter
 Christianos Principes restauranda: die
 autem trigesima Maij, quæ erat feria
 quinta, publicus habebatur Purpurato-
 rum confessus, in quo Ferrariæ Dux,
 qui ad obedientiam Marcello II. præ-
 standam Romam venerat, idem sub-
 missionis homagium Paulo III. exsolvit:
 Agebatur insuper de emendandis cor-
 ruptis Ecclesiasticorum moribus, sanc-
 tumque, quod huic malo haud effica-
 cius obviari possit, nisi probatæ virtu-
 tis Viris Episcopatus, ac Parochiales
 Ecclesiæ committerentur. In alio Pa-
 trum confesso die quinta Junii celebrato
 summus Pontifex de animarum salute
 sollicitus sancivit, ut ad evitandum si-
 moniæ, atque ambitionis vitium im-
 posterum ad Regum, Principum, vel
 eorum, quibus jus Patronatus compe-
 tit, nominationem pro Ecclesiasticis
 dignitatibus ad Ecclesias Patriarchales,
 Metropolitanas, Cathedrales, & Mo-
 nasteria nonnisi Viri idonei promo-
 veantur.

§. XII.

*Angliæ Legati ad Pontificis allo-
 quium admissi.*

Præ-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1555.

Sæcul. XVI. A. C. 1555. Præterea Pallavicinus refert, die septima Junii alium Cardinalium conventum fuisse habitum, in quo auctoritate Apostolica Hibernia regni prærogativa fuerat donata, id petentibus Philippo, & Maria, eoquod Henricus VIII. durante schismate propria auctoritate sibi hunc titulum vendicasset. (*) Porro hujus congressus ratio præcipua erat, quod Angliæ Legati Romam adventantes a summo Pontifice duos sibi favores concedi efflagitarent, scilicet ut datam schismatis veniam ratam haberet, nec non Hiberniam regio titulo decoraret. Hanc in rem Papa die vigesima prima Junii, vel juxta aliorum relationes vigesima tertia ejusdem Mensis in Purpuratorum Senatu Angliæ Legatos ad alloquium admittebat, eosque ita alloquebatur: „ut Angliæ Regi, atque Reginae luculentè nostram benevolentiam testatam reddamus, virtute Apostolica Hiberniam in Regnum evehimus.„ His dictis Legati in genua provoluti nationis Anglicæ rebellionem, ac schisma confessi ab omni censura liberati rediere.

*Burnet hist.
Ref. t. 2. l. 1.
p. 464.*

§. XIII.

(*) Hac super re fati utiliter consuli poterit ipsemet Pallavicinus, qui *Suavis*, seu *Sarpi* mendacia refellit.